





ORATIONEM ANNIVERSARIAM  
IN MEMORIAM  
**FORMVLAE RELIGIONIS**  
IN  
**AVGVSTANIS COMITIIS**

A. R. S. cIo Id xxx.

REGITATAE

EX INSTITVTO  
IMMORTALIS LYNCKERI


HABENDAM

RITE INDICIT

**CHRISTIAN HENR. ECKHARD**

IVR. AC PHILOSOPH. DOCTOR  
ELOQVENT. ET POES. P. P. O. IVRIS EXTRAORDIN.  
SOCIETAT. LATINAЕ DIRECTOR.

**LITTERIS MARGRAFIANIS.**



uo praestantior et diuinior virtus est  
beneficentia, quae sine quaestu et  
ostentatione communi vilitati ser-  
uit, et miseris fortunaque offen-  
sis succurrit: eo maiorem habet di-  
gnitatis opinionem, eoque aptior tum ad claritatem  
amplitudinemque nominis, tum ad voluntates ho-  
minum deuinciendas habetur. Nam quum natu-  
ralis quaedam cognatio inter homines intercedat,  
quae mutuae caritatis officia postulat: nae illi ratio-  
nis humanae dignitatem praे ceteris sustinere vi-  
dentur, qui praedclare de sociis mereri student, be-  
neficiis eos complectentes, qui necessariis vitae  
tuendae praesidiis destituuntur. Nulla quoque vir-  
tute

tute proprius ad diuinitatis exemplar homines accendunt, quam benignitate, quae commodis hominum prolix comparandis, generis humani societatem tuetur et conseruat. Ex quo intelligi potest, cur tanto studio veterum gentium reges principesque benignitatis adfectarint laudem, et nummis aliisque monumentis publicis illam memoriae prodendam statuerint. Nulla enim maiori laude se in suo fastigio ornari posse putarunt, quam si benefici, et hominum amantes dicerentur, uti PHILANTHROPI Cyrus et Nerva vocantur, \*) vel EVERGETAE, quo nomine multorum reges populorum in Graecia, Asia, Aegypto, et Seleucidae in primis mirum in modum in priscij aeris monumentis gloriantur. \*\*) Quot vero, quantisque elogiis LIBERALITAS AVG. in nummis et marmoribus celebratur, quae datis populo congiariis, aut aliis largitionibus ostentatur? Quamquam vero his muneribus imperatores populi potissimum studia gratiamque consecabantur: gloriosum tamen illis visum est, singulis honoris significatione illis munificentiae laudem impertiri. Quo minus vero ab ostentatione remota est illa munificentia, eo vafre comparata, ut homines illecebri deliniti, caritatis specie decipientur: eo maiori laude digna est, quae sine quaestu in ingeniorum alimenta confertur. Hanc nobis

\*) EZ. SPANHEMIUS de V. et P. N. diff. VIII. p. 626.

\*\*) EZ. SPANHEMIUS l.c. diff. VII. p. 439. s7.

nobis demonstrant PVERI PVELLAEVE ALIMENTARI, qui publicis sumtibus alti educatique, Imperatorum, a quibus alimenta capiebant, benignitatem ostendunt. Primus autem Nerua imp. instituit, vt alimenta pueris ingenuis, parentibus egenis natis, praeberentur,\*) quem Traianus imitatus est, optimi cognomen ob benignitatem meritus. Huius munificentia tanto nobilior putanda est, quod nihil in illa magis praedicandum PLINIVS se reperisse testatur, \*\*) quam quod nihil alii largitus sit, vt afferret, aut tristes hominum moestosque sermones laetiori detineret materia, verum de suo pueris alimenta praefari iussit, vt ab infantia inde parentem publicum educationis munere experientur. A quinto enim anno non in urbe solum, sed Italiae etiam oppidis usque ad pubertatis annos parvulis ciuibus hoc beneficium concedit, qui PVERI PVELLAEQUE VLPIANI a gentili Traiani nomine in saxis litteratis vocantur.\*\*\*) Moris enim erat, pueros imperatorum, quorum beneficio alebantur, nominibus adpellare, quemadmodum illi eorum quoque nomina adsciscere solebant, quorum in honorem essent constituti

\*) THOM REINESIVS *Syntagma. Inscript. CI. VI Inscr.*  
24 V C. CHRIST. HENR. TROTZ *de memor. propag.*  
*eap. III.*

\*\*) in Paneg. c. XXVII.

\*\*\*) EZ. SPANHEMIVS *de V. et P. N. diff. XIII. p. 542.*  
GRVTERVS *Corp. Inscript. MG XXXIV. 7.*

stituti. Sic puellae Faustinianaæ in nummis spectantur, quas Antoninus Pius in honorem vxoris Faustinae constituit, et Alexander Seuerus pueros puellasque alimentarios MAMMAEANOS et MAMMAEANAS dixit, ut matris Mammaeae nomen honestaret. \*) Huius autem pecuniae, quæ alimentis puerorum puellarumque destinata erat, curam viri spectatissimi gerebant, qui quaestores aut curatores pecuniae alimentariae, aut quaestores arcae publicæ et pecuniae alimentariae, \*\*) item quaestores reipublicæ et alimentorum vocantur. Ut igitur gloriae quisque cupidissimus fuit, ita benigne aliis faciendi studiū maxime testatus est, ut nomen suum posteris quoque gratum redderet, et sempiternæ commendaret memoriae. Nullum enim impendit genus magno homine, immortalitatēque merituro dignius, quam quod in posteros & reipublicæ utilitates erogatur, et nulla virtus tam expeditum ad gloriam iter praebet, quam benignitas. Sed ut gloria ratione et quaerenda et collocanda est, sic beneficentia ad virtutis et iustitiae rationem dirigenda, ne vitium faciat, reique publicae sit pernicioſa. Maxime igitur in benignitatis iudicio falluntur, qui in indignos, aut res vanas, quarum nulla, aut breuis memoria futura est, opes suas profundunt, nec consilio, sed impetu quodam ad liberalitatem trahuntur. Hi enim a vero rectoque deflectunt,

X 3 quo-

<sup>44</sup>) LAMPRIDIUS Alex. Seuer. cap. XVI.

REINESIVS CI. VI. Inscri. 24. et SPANHEMIVS l. cit.

306

---

quoniam non ducem naturam sequuntur, quae  
ad consulendum in commune hortatur, sed libi-  
dini suis tantum commodis prospiciendi parent,  
in paruo, aut nullo ponentes discriminé, quantum  
noceant aliis, dummodo sibi prosint. Habet igi-  
tur beneficentia excelsum quiddam diuinumque,  
quod voluntates hominum allicit: veram autem  
mansuramque gloriam vix parit, nisi ab honesti  
fonte proficiscatur, et iustitiae, ad quam omnia  
sunt referenda, sit coniuncta.  
Itaque reipublicae interest, ut ita liberalitate  
vtantur ciues, ne obsint iis, quibus gratificantur,  
et eos maxime beneficiis iuuent, a quibus pluri-  
mum diliguntur, ne si locupletent et augeant illos,  
qui nulla re egent, miseros reddant, quibus  
cum natura eos maxime coniunxit. Praeclare  
enim grauissimus officiorum magister, CICERO non  
minus iniustos esse pronunciat, qui in alios libera-  
les sunt, si suis et reipublicae noceant, quam si in  
suam rem aliena conuertant. Quod si suum cuique  
tribuit iustitia, qui conseruari potest societas, si offi-  
cium negligatur, quo homo homini ipsius humani-  
tatis iure tenetur, si proximis eripiatur, quod in  
alienos, aut locupletes transfert? Quid igitur est,  
quod Pontifices olim Romani, eorumque adseclae,  
adeo infensi fuerint legibus et iuribus, potissimum  
Saxonis, quae modum liberalitati statuunt, siue  
viuuus aliquis, siue, quod frequentius vsu venit,  
supremis tabulis aliis bona sua donare velit? Longa  
est

est iniuria, nec iam vacat constitutiones omnes  
Pontificum recensere, quibus Ius Saxonum tam-  
quam impium, inhumanum, et detestabile ius  
condemnatur, dirissimisque vocibus proscriptur.  
Tantum vero abest, ut benignitatis reprehendamus  
studium, ut vltro potius contendamus, Deo illud  
maxime probari, bonosque ciues maxime decere,  
ut ea re bonae mentis sanctitatem obsequitumque  
Deo debitum ostendant. Haec quoque sententia  
est Iuris Saxonici, cuius prudentiam nemo est,  
qui miretur, dum legibus quibusdam donandi et  
testandi facultatem circumscrifit, ne inconsulta li-  
beralitas reipublicae noceat, et copiae, quas prox-  
mis et suppeditari aequius est, et relinqu, in alienos  
transferantur.

Sed longiorem huius rei disputationem, quam  
scripturae modus non recipit, in aliud tempus re-  
seruamus. Illud certum exploratumque est, nihil  
esse alimentaria liberalitate praestantius, nihil eam  
fuci aut vanitatis ostendere, quippe quae nullo  
gloriae aut quaestus studio bene de re publica me-  
retur, et in sola benefice factorum conscientia con-  
quiescit. Ex hac olim magnam laudem adeptus est  
PLINIVS, qui annuos sumtus in alimenta inge-  
niorum impendit, et ut satura esset post mortem su-  
am pecunia illis destinata, agrum longe pluris auctori  
publico mancipavit, ve etialemque recepit, ut per-  
petuo alimenta puerorum praefarentur.\*). Tante  
illustrius

\*) PLINIVS L. I. ep. VIII. L. VII. ep. XVIII.

illustrius munificentiae suae monumentum posteris  
imitandum reliquit LYNKERS, quod tenui literarum fortunae et religionis diuinioris dignitati  
consuluit, sapienterque prouidit, ut ne post obi-  
bitum suum aliis ingenii diuina humanaque sapien-  
tia expoliendi facultas deesset. Ex eius igitur in-  
stituto crastino die post horam X. in concionem  
eruditorum prodibit vir clarissimus, IOANNES  
IACOBVS COLERVS, Vinariensis, libe-  
ralium artium et philosophiae magister, doctrina,  
modestia, et virtute nobis in primis commendatus.  
Dicturus est de parallelismo reformationis Iosiae et Me-  
galandri nostri Lutheri in templo academico, vt me-  
moriā Augustanae Confessionis anniversaria et ex-  
ulta oratione prosequatur. Ad quam benenole  
audiendam vt Magnificus Academiæ Proreector, pa-  
tres eiusdem venerandi, omnesque, qui, litteris  
fauent et operam dant, secundis animorum studiis  
conuenire velint, et oratorem nostrum ea, quā  
solent, humanitate et benevolentia excitare,  
obseruanter amanterque rogo atque  
contendo P. P. d. XXIII Jun.  
clo Io cc li.



99 A 6985



Rha ✓



**Farbkarte #13**



23

ORATIONEM ANNIVERSARIAM  
IN MEMORIAM  
**FORMVLAE RELIGIONIS**  
IN  
**AVGVSTANIS COMITIIS**  
A. R. S. CIO IO XXX.  
RECITATAE  
EX INSTITVTO  
IMMORTALIS LYNCKERI  
HABENDAM  
RITE INDICIT  
**CHRISTIAN HENR. ECKHARD**

IVR. AC PHILOSOPH. DOCTOR  
ELOQVENT. ET POES. P. P. O. IVRIS EXTRAORDIN.  
SOCIETAT. LATINAe DIRECTOR.

I E N A E  
**LITTERIS MARGRAFIANIS.**